

AK. 179.  
QR. 179.



ORDINIS IVRIDICI  
IN  
ACADEMIA VITEMBERGENSI

H. T

DECANVS  
CHRISTOPHORVS  
LUDOVICVS  
CRELLIVS D

POTENTISSIMI REG· POLON· ET PR· EL. SAXON  
S· R· I· H· T· VICARII CONSILIARIVS AVLAE  
DIG-INF. ET NOVI PROFESSOR PVBLICVS ORDIN  
CVRIAEC PROVINCIALIS ET SCABINATVS  
VITEMBERGENSIS  
ASSESSOR

LECTORI BENEVOLO  
S. P. D



de jure Hagarum et vigenonem apud  
Germanos, speciebam Saxonos



III. 482

ORDINIS MARIDI  
IN  
ACADEMIA ALTEMBERGENSIS  
H. T.  
DECANUS  
CHRISTOPHERUS  
ADOLPHUS  
GERALDUS  
GOTTFRIEDUS  
HEINRICHUS  
JACOBUS  
KAROLUS  
LEONARDUS  
MICHAELUS  
PAULUS  
ROBERTUS  
THOMAS  
VITUS  
WILHELMUS  
XAVIUS





I  
nter plura GERMANIAE nostrae, et SAXONIAE in primis, ornamenta, illud non postremum esse nouimus, quod, ipsis proficentibus Romanis, maiorum instituta tanto diligentius custodimus, quanto illa certius ab ipsa simplicitate naturae profecta sunt et a congenito quodam studio honestatis et virutis. Quapropter operaे pretium uidetur, ut, cum Clarissimus CANDIDATVS noster, cuius honori ut inseruam, haec a me scribuntur, de *Iure uiuariorum ex Iure Quiritium*, publice verba sic facturus, iam quidem de GERMANORVM et IN PRIMIS SAXONVM legibus et institutis non nihil adiiciam, et quid mihi, de *Iure Hagarum* et *uiuariorum apud Germanos*, in mentem uenerit, breuiter exponam.

Enim uero nunquam animum inducere potui, ut cum ZASIO a) et GAILIO b) ficerem, qui *ius HAGAM faciendi*, et *syuam uenatoriam munitionibus cingendi*, crediderunt ipso iure uenandi simpliciter concessu comprehendi. Sed ausim affirmare, *PRIVATO* quidem, cui

a) Zafius II. Conf. 6. n. 1.

b) Gail. II. obs. 68. n. 6. sq.

ius uenandi sit tributum, nunquam sine Principis EX-  
PRESSA VENIA licere syluam uenatoriam, quamuis  
eius propriam, et nemini deuinctam, munitione  
aliqua cingere, ein Gehege und Wild-Zaun zu machen,  
aut VIVARIVM publicum instituere, in quo sylvestres  
pecudes circumseptae a domino pascantur. Ita enim  
ut sentiam, multae apud me caussae effecerunt.

Primo enim ipsae MVNITIONES a PRIVATIS  
institutae, sed maxime munitiones NEMORVM, in quibus  
plerumque fures et latrones stabulantur, dici non potest,  
Germanorum Principibus quam suspectae semper fue-  
rint: cum materiam seditionis et rerum nouarum con-  
tinere uiderentur. Sed de Imperatorum quidem editis,  
quibus munitiones priuatas feuerissime coercuerunt,  
alio loco copiosius tractauia.) Igitur de SAXONIBVS ma-  
xime monebo, illos ab antiquissima origine, auersatos esse  
et suspectas habuisse munitiones priuatorum. Enimuero  
iam tum a compilatore *speculi Saxonici* est obseruatum,  
maiores nostros vix circa domum cuiusque priuati  
sepem subitariam, maioris altitudinis, munitio-  
nis caussa institutam, tolerasse. Ita enim ille de priua-  
torum munitionibus 3. LX. art. 66. praecipit, man soll  
keine Heeg noch Thurn bey Dörffer machen ohne des  
Land-Richters Urlaub. Ohn sein Urlaub mag man  
aber wohl Graben aufwerffen, als tieff ein Mann mit  
seinen Spaden ausschiesst an die Erde, also daß er keinen  
Fuß-Schemel noch Gerüste dazu mache. Man mag auch  
wohl bauen, mit Holze oder mit Steinen, dreyer Ga-  
den hoch, über einander, einen in der Erde, und die an-  
dern zween oben, doch also, daß man ein Thor mache  
in den niedersten Gaden über der Erden, eines Knees  
hoch

---

a) Libello singulari, de Iure urbes muniendi. et munitiones reficiendi.

hoch. Man mag auch wohl befesten einen Hoff mit  
Zäunen, oder mit Stecken, oder Mauern, als hoch ein  
Mann reichen mag, auf einen Ross stehende, Zinnen und  
Brustwehren sollen auch nicht daran seyn. Neque ue-  
ro posteri deseruerunt maiorum instituta, sed sapientis-  
simorum PRINCIPVM prouidentia cautum est, ne un-  
quam a priuato fiat munitio, quae securitati publicae  
periculosa et suspecta uideatur. Inprimis in *Saxoniae*  
*Electoratu* ne in agris sepes contra ferarum incursionem  
fiant, *VLTRA MODVM ALTI TUDINIS CONS ET VM*, neque  
palis praecutis, daß die Verheckung und Vermachung  
derer Felder nur in gewöhnlicher Höhe nachgelassen,  
auch Stecken ohne Spizen darzu zu gebrauchen, seue-  
ristima lege interdictum. a) Maxime in syluis, ne qua-  
TV GVRIA sine principis uenia constituantur, neue quis-  
quam in propriis etiam syluis caedendo ligna, aut alia  
omnino ratione, durch das Verhauen, nisi in casu neces-  
sitatis repentinae, aliquid praeter morem faciat, diligen-  
tissime prospectum est: b) ut intelligatur, non omnino  
liberam priuatis muniendi facultatem esse, et in primis  
in nemoribus et syluis, propter latronum insidias, omnem  
machinationem insolitam suspiciones parere, et, sine ue-  
nia principis non ferendam in republica uideri. Quis  
igitur credat, MVNITIONES illas NEMORVM, quas  
plerique in uiuariis altas desiderant, in Germania et Sa-  
xonia innocuas uideri, atque facultatem illas pro lubitu  
instituendi, cuilibet, qui ius uenandi habet, nisi PRINCI-

- a) General-Bestallung vor die Forst-Bedienten, d. A. 1575. Cod. Aug. T. II  
p. 520 Mandat d. A. 1650. Cod. Aug. T. II. p. 559.  
b) Churf. Sächs. Forst-und Holz-Ordnung, d. A. 1560. Cod. Aug. T. II.  
p. 495. et p. 506. uideatur Mandatum de dato d. XXIX. April. 1734.  
Verbis: Und bey herannahender Gefahr in die Wälder sich saluiren, und dar-  
innen verhauen.

PIS expressa cum uenia, promiscue permitti. Neque enim WEHNER o assentiri possum a) qui tunc admittit has munitiones, si uel sine uicinorum incommodo, uel bona ipsorum cum uenia, in fundo proprio instituantur. Enimuero res ipsa loquitur, quae propter publicam securitatem constituta sunt, non paetione priuatorum immutari, sed PRINCIPIS auctoritate duntaxatius singularare, extra ordinem, a quibusdam impetrari.

Habes primam rationem, ob quam nobis suspecta nemorum munitio uidetur. Sed ad hanc accedunt aliae complures.

Enimuero, PVBLICE INTERFVIT, ne cuilibet priuato, qui ius uenandi habeat, animalibus sylvestribus insidias modis omnibus, pro cuiusque ingenio, facere permitteretur. Nimirum cupiditas illa incredibilis uenandi, quae Germanos, ab antiquissimis temporibus, inuasit, atque etiam ad posteros subinde propagata est, multorum etiam avaritia, efficeret, ut nisi optimi Principes rei modum statuissent, intereundum esset omni generi ferarum. Quae cum ita essent, plerisque legibus uenaticis in Germania non solum tempore et locorum limitibus circumscripta est licentia uenandi, sed etiam prospetum, ne loco et tempore consueto incontinentius in feras illi saeuiant, quibus ius uenandi est tributum. In primis in Saxonia Electorali ne quis feras in fundum suum esca aut odoribus alliciat, aut foreas faciat, uenationis caussa, das Wildpriet durch keinerley Fütterung und Gedreynde zu förnern und zu locken, auch keine neue Wild-Gruben zu machen, b) interdictum: ut sola facultas, feras libere vagantes canibus

a) Wehn. Pract. Obscrv. Voce Gorst. p. 123.

b) vid. Mandat. Reg. et Elect. d. A. 1697: die Wild-Bahne betreffend, in Cod. Aug. T. II. p. 596.

nibus aut aliis modis licitis, subinde capiendi, uasallis,  
qui ius uenandi habent, a Principe concessa, sed feris  
via quaedam elabendi semper relicta esse uideatur.

Ex quibus rebus intelligitur, legibus patriis aduersam esse illam nemorum munitionem, qua animalia sylvestria uel sepe facta, uel muro excitato, uel lignis circumcisis, includuntur, ut elabi et sylvas foetibus locupletare et escam idoneam quaererenton possint. Ut taceamus, ex praeceptis uenatorum, a) munitiones illas ad radices montium declivium et uirgultis obstitorum fieri, ut ferae, atque in primis cerui, ipso conspectu et iucunditate loci et odoribus allicantur, ut sponte insiliant, et augeant numerum captarum, quasi uoluntaria ditione. Solent enim hoc illecebrarum genus nostri **den Einsprung** appellare. Quod ipsum quam periculosum sit, et quo cum incommodo coniunctum, et Germaniae, quas commemorauit, legibus aduersum, ex his, quae supra disputata sunt, appetat.

Igitur dicemus, non duntaxat propter **OPTIMI PRINCIPIS** uenationem, et banni ferini libertatem, sed etiam propter publicam utilitatem, ne genus ferarum extinguitur, prohibitam uideri animalium sylvestrium in uiuariis inclusionem. Quapropter ausim affirmare, etiam in illis nemoribus, quae principis bannum ferinum non proxime attingunt, sed ab eo remota sunt, quamvis cum uicinorum uenia et consensu, permittam **non esse priuati uiuarii munitionem.**

Extremo ipsa natura iuris uenandi prohibet, ne **IUS HAGARVM** et munitionum cum illo coniunctum esse arbit-

---

a) Dn. de Flemming im Deutschen Jäger, T. II. p. 303.

arbitremur. Constat enim, et expeditum est, Germanos ius uenandi ab antiquissimis temporibus inter IVRA REGIA, aut regalia, omnino habuisse. Neque enim audiendi sunt interpretes, qui in partem aduersam disputatione ausi sunt, quia in celebratissima illa lege, 2. F. 56, ius uenandi inter iura regia non connumeretur. Enim uero satis est, ius piscinarum illo loco inter regalia referri, ut ex una specie de toto genere uenationis iudicemus. Praeterea leges illae Feudales, si uel in campis Roncalicis editae uel alio in loco Italiae prolatae sunt, ideoque ad possessiones illas Italicas in primis pertinent, ita Germanorum principes non obstringunt, ut ipsorum iura regia ex istis aestimemus. Rectius de illo iure ex antiquissima Imperii consuetudine et veterum Germaniae Regum institutis iudicatur. Sed disputatione non indiget, quod Reges Germaniae tutelam animalium, totumque illud ius uenandi, crediderint ad se in primis pertinere. Audiamus LUDOVICVM PIVM, qui iam suis temporibus, ne Comites VLLAM FORESTEM, sine eius iussu, nouiter instituant, sed nouiter institutas continuo dimittant, lege publica a) p[ro]aecepit. Quod exemplum imitati sunt posteri, et CONRADVS II. in primis, qui et ipse, ne quis, sine Regis uenia, in sylvis atque campis uenari audeat, omnibus priuatis interdixit. b)

Igitur apparet, semper ius uenandi a Germanis pro IVRE REGIO acceptum esse. Postea cum territoriis et feudis regalibus, constat, iura regalia in toto territorio ad Principes et proceres imperii per inuestituram peruenisse. Imouero saepius, si nemora et saltus territorio continerentur, ius banni ferini et uenationis ipsa formula

la

a) Capit. Ludouici Pii 22. apud Goldastum Constit. Imperial. T. III. p. 251.

b) Constit. III. Conrad. II. ap. Goldastum loc. cit. p. 312,

la inuestituae Imperatoriae, Principibus concessum est.  
Extant sexcentae eiusmodi tabulae apud L V N I G I V M ,  
quas exscribere non uacat. a)

Satis igitur ex his, quae adhuc disputata sunt, apparet, ius banni ferini et omne illud ius uenandi ab Imperatoribus ad Principes Imperii, sed ad priuatos nunquam, nisi ex uoluntate Principis subinde, peruenisse. Iam uero non potest locus esse dubitationi, quin iura **ILLA REGIA** priuatis a principe extra ordinem permissa, quamuis plenissime concessa esse uideantur, ita interpretatione stricta temperanda sint; ne totum ius Principis interuertatur. Publice enim interest, **IVRA PRINCIPVM** non infirmari. Igitur dicemus, ius uenandi, quod ad priuatos peruenit ita semper accipi, ne banno ferino principis, neue publicae securitati et utilitati communi, a uenatoribus officiatur. Sed haec omnia, ut supra obseruatum est, dissuadent munitiones illas nemorum, quibus ferae bestiae a priuatis intercipiuntur. Enimuero non pertinet ad institutum, ut expediamus, utrum cum **IVRE FORESTALI** et banno ferino ius territorii et superioritatis necessario coniunctum esse uideatur. Haec enim olim controversia magna contentione animorum agitata est, cum de separatione feudorum Limburgicorum ab alladio cum cura singulari tractaretur. b) Sed illud certe caret dubitatione **IUS FORESTALE** et bannum ferinum ad Principem spectare, et vi inuestituae Imperatoriae cum Superioritate territoriali coniunctum esse, nisi horum iurum quaedam particula quandoque ad uasallos a Principe, luculenta concessione, transferatur.

) ) Certe

a) Lünigs Melch's Archiv Spicil. Eccles. P. II. p. 578. Tit. von Hoch-Süff-  
teria. It. Spic. Eccles. P. II. p. 140. et 148. It. P. III. Spic. Eccles. p. 101.

b) Gabers Europ. Staadtēs Cangley P. XVIII. p. 64. sqq.

Certe SUPERIORITAS illa FORESTALIS, quam dicunt, ui cuius omne IUS REGIVM in syluis a Principe duntaxat, aut nomine eius exercetur, et, inter alia, leges etiam forestales et uenaticae conduntur, denique cauetur, ne quid respublica per syluarum et nemorum abusum detrimenti capiat, non permittit, ut, inuito aut non consulto Principe, in nemoribus, quamvis illa ad priuatos quodammodo pertineant, machinationes suspectae et periculosae temere instituantur.

Satis, credo, comprobatum est; ius HAGARVM, das Ghegege, priuatis etiam in fundo proprio non competere, nisi expressa atque luculenta uoluntate principis quibusdam concedatur. Sed apparet, quae a nobis dicta sunt, ad *Inq[uestio]ne* maiora illa uiuaria duntaxat pertinere, quae in syluis uenaticis instituuntur. Haud paullo secius de leporariis priuatis sentiendum est, quae circa villam in loco priuato, et uenationibus uacuo, habentur, ut feras ab aliis coempras, aut iusto titulo a nobis adquisitas uoluptatis caussa uiuas nutriamus. De priuatis enim uiuariis nihil Germanorum legibus constitutum imuenio, quod a iure quiritium discedat. Sed de his quidem publice uerba faciet vir Nobilissimus et Clarissimus, IOANNES GOTTLIEB FRIDERICVS PEZOLDVS, Islebienfis, Summorum in arte nostra honorum dignissimus doctissimusque CANDIDATVS. Cuius uirtutes quamvis ita omnibus notae sint et in oculos omnium incurvant, ut meae laudationis non indigent, tamen uere de ipso affirmare possum, ex quo tempore scholas meas frequentauit, meoque hospitio usus est, ita ipsum et facilitate ingenii, et literarum elegancia, et cupiditate doctrinae, et uitiae morumque honestate atque innocentia, et studio bene de omnibus merendi,

di, multis denique virtutibus, in choro aemulantium  
iuuenum, cum omnibus meis certauisse, ut ipsum  
omnino ponendum esse in exemplis iudicauerim, et  
optime de ipso sperauerim, et prosperrimos successus  
ipsi ex animo sim adprecatus. Neque uero res caruit  
euentu. Igitur ipsum audiamus:

*Natus sum III. Non. Febr. Anno  
ccc XV. Islebiae, Patre, M. CHRISTIANO FRIDERICO PEZOLTO, qui  
tertium inter illustris Gymnasi Patrii mode-  
ratores locum tenet, matre uero SOPHIA  
ELEONORA, M. ELIAE FRANCKII fa-  
lia, qui incluto, quod modo dixi, Lyceo, per  
XL. annos, et quod excurrit, dum uiueret, Re-  
ctor praefuit. Hi parentes optimi officio suo  
nunquam defuerunt, eamque semper praeci-  
puam curam habuerunt, ut liberaliter et ho-  
nestissime educarer. Prima lex haec ipsis fuit,  
ut scientiae sanctiorisque uitae praeceptis im-  
buerer, quibus rebus animus ad spem futurae  
felicitatis certissime paratur. Quod ut eo  
facilius fieret, ipse Pater dilectissimus, quem  
natura ad scholasticos labores finxisse uide-*

XII 2 tur,

tur, primis artium elementis me erudiuit, tanta sollicitudine et fide, quanta ab optimo parente expectari potest. Accidit haud ita multo post, ut parenti, a Rectoris munere, quo Neo Islebiae functus est, auocato, prouincia docendi in Gymnasio Islebiensi assignaretur. Ex quo tempore non ipse tantum curam maximam pro me suscepit, sed prouidae etiam Winnii, illustris Athenaei Colleg. IV. Senioris, uiri et aetate et sinceritate maxima conspicui, me institutioni commendauit. Hic uero primus mihi ad studia, quae ab humanitate nomen sortiuntur, uiam multa cum facilitate aperuit. Postea Reineccio Gymnasii Rectori, cuius et amorem et candorem persaepe sum expertus, nec non Tollio, eiusdem Con-Rectori, cura mei fuit demandata. Cuius utriusque, quanquam defuncti sint, memoria ita animo meo infixa est, ut nunquam sit intermoritura. Ex horum scholis anno 1734. mense Octobr. Vitembergam profectus, in studiosorum societatem adscitus sum, cum Magnificus et

et summe reverendus ZEIBICHIUS noster fasces  
et sceptra academiae teneret. Ut uero in cur-  
su studiorum rite uersarer, uires animi Phi-  
losophiae praeceptis confirmandas esse duxi,  
ut ad reliquas disciplinas promptior aditus  
pateret. Itaque CRELLO nostro duce,  
in iure naturae et gentium, cuius publice do-  
cendi munus ipsi tunc erat concessum, publice  
et priuatim profeci: reliquas uero partes sapi-  
entiae Baumeistero interprete, qui nunc  
praeest Gymnasio Goerlicensium, accepi.  
Hinc animum ad iuris prudentiae studium  
conuerti. In qua arte Perillustrem LEVSE-  
RVM, grauissimum academiae nostrae Ordi-  
narium, eiusdemque decus maximum, Viros  
item illustres atque excellentissimos, BASTINEL-  
LERVM et MENCKENIVM, nec non, quoad in ui-  
uis fuerunt, WERNHERVM et KRAVSIVM,  
quorum nomina non sine summae pietatis sen-  
su commemoro, duces naetus sum. Plurimum  
uero quod ingenue fateor, CRELLO no-  
stro acceptum refero: cuius nomen et doctri-

XX 3

nam

nam grata semper memoria recolam. Non nullorum deinceps Patronorum auctoritate ex Vitembergenſi academia in Halensem commigraui, in quam cum anno 1737. perueniſsem, Pro Rectore Michaeli, albo ſtudioſorum ſum insertus, et recitationibus Perilluſtris domini a Ludewig quibus ius feu-dale et publicum, Boehmeri, quibus ius Ca-noni-cum, Heineccii, quibus ius ciuile, tradiderunt, Knorrii etiam Practicis präelectionibus inter-fui, multisque ab ipſis beneficiis ornatus ſum. In-terea temporis tantum abfuit, ut Vitembergen-ſium Doctorum ſuauiffimaeque eorundem doctri-nae obliuicerer, ut potius eadem allectus ad Leucoreas Musas reuerterer, et, quae in foro iuridico nondum ſatis attigiffe mihi ui-debar, perficere ſtudarem, omnium uero maxime ad praxin forenſem me pararem. Itaque redii ad C R E L L I V M noſtrum, quem in oculis ferebam, eundemque pariter ac S T V R M I V M, celeberrimum iuris utriusque Doctorem, cum ius formularium, quo in iudiciis utimur, do-cerent,

cerent, *qua potui assiduitate, audiui, atque*  
*sic cursum iuridicum, quo decet, ordine absolu-*  
*ui. Nunc tempus et causae nonnullae mo-*  
*nent, ut ad tempus alibi, quid fortuna ferat,*  
*experiar. Itaque in animum induxi ad so-*  
*lum patrum redire, ibidemque uires in pra-*  
*xi exercere: donec spes meae, ad quas a Patro-*  
*nis quibusdam erectus sum, ex uoto implean-*  
*tur. Ante uero, quam discederem, rationi-*  
*bus haud leuibus commotus, apud Illustrem*  
*ordinem Iuridicum nomen meum professus*  
*sum, et, postquam in auditorio ICtorum,*  
*Praefide CRELLIO nostro ad Tit. II. Lib.*  
*XXIII. D. de ritu nuptiarum, disputaueram,*  
*ad examina consueta propraxi, Notariatu, et*  
*Candidatura, itemque ad rigorosum, quod*  
*appellant, admissus sum.*

**I**mo uero in utroque examine Ordini nostro fru-  
ctus doctrinae suae tam feliciter ostendit, ut ipsi optime  
merito, communis consensu, et congratulatione omnium,  
honores in arte nostra summi, quos a nobis modeste  
petuit, promitterentur. Quos ut adipiscatur, pridie Kal.  
Januar. more maiorum Dissertationem inauguralem,

DE

GRK 4e 1330

DE IVRE VIVARIORVM, in auditorio meo, me Praefide, publice defendet. Quia celebratam, ut Vos, Rector Academiae Magnifice, Perillustris Domine Liber Baro, Patres Conscripti; Vos denique omnes, qui arti nostrae et optimis litteris fauetis, honorifico conspectu uestro ornetis atque augeatis, orarem et obsecrare uehementer, nisi tantam apud Vos omnes Clarissimus Candidatus gratiam iam dudum iniisset, ut desumma in ipsum uoluntate Vesta prorsus confidam, et certissime animo persuadeam, fore, ut eius honori, et iam absque precibus meis, sponte fauetis. Dab.

d. XXVIII Dec. Anno, quam salus parta est,

clo 13cc XXXX

---

VITEMBERGAE  
LITTERIS SCHEFFLERIANIS.

---

CORRIGENDA  
IN DISSERTATIONE

- p. 1. lin. 13. *animos*, lege: *animus*  
p. 13. lin. 18. *Priscinis*, lege: *PISCINIS*  
p. 34. lin. 6. *illigata*, lege: *illigatae*  
ibid. *reposita*, lege: *repositae*  
p. 38. lin. 1. *quo ut*, lege: *ut*

X 309 5482

M.C.



**Farbkarte #13**

	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86

B.I.G.

NIS IVRIDICI  
IN  
IA VITEMBERGENSI  
H T  
**E CAN VS  
STOPHORVS  
O V I C V S  
LLIVS D**

EG· POLON· ET PR· EL· SAXON  
ICARII CONSILIARIVS AVLAE  
VI PROFESSOR PVBlicVS ORDIN  
DVINCIALIS ET SCABINATVS  
ITEMBERGENSIS  
ASSESSOR

TORI BENEVOLO  
S. P. D

re Hagarum et virginem ap  
ermanis, speciam laxes

